

368

Lib II. Cap. XIV.

cipitur etiam pro significatis mediatis, i.e. inferioribus, est suppositio personalis.

16. An autem nomen commune supponatur simpliciter, an personaliter, facile potest cognosci ex descensu: nomen commune enim, sub quo licet descendere, supponitur personaliter: sub quo verò descendere non licet, simpliciter, e. g. in hac: *O, animal est sentiens, sub subjecto, nempe animali descendere licet ad inferiora, h. m. E. & hoc animal est sentiens, & illud animal est sentiens, animal igitur in adducta enunciatione personaliter supponitur: Cum verò dico, homo est species, sub nomine communi Homo descendere non licet ad inferiora, h. m. & Petrus est species, & Paulus est species &c. hæ enim falsæ sunt.*

17. Per descensum autem h. l. nihil aliud intelligitur, quam enumeratio inferiorum nominis communis, ita, ut cum altero enunciationis extremo simul connectantur, e. g. in hac: *O animal sentit, sub subjecto descendo, enumerando inferiora, & cum quolibet eorum connecto prædicatum sentire, h. m. Et hoc animal sentit, & illud animal sentit, &c.*

18. Descensus autem est quadruplex, 1. copulativus. 2. copulatus. 3. disjunctivus: 4. disjunctus.

19. Co